



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

676. Quid possit Episcopus circa beneficia conferenda suis consanguineis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

juris communis dispositione, Episcopus simultaneam cum Capitulo earum Ecclesiarum pretendere non potest. Lott. l. 2. q. 21. n. 135. multoque minus, ut tenent Joan. de Imol. in c. cum Ecclesia Vulterana, n. 5. & alii quidam solidam collationem. Lott. ibid. etiam adhibito duntaxat consilio Capituli, ut Federic. de Senis. conf. 34. n. 1. Sed

2. Respondeo secundò: præcindendo à consuetudine, secundum juris communis dispositionem, jus præsentandi seu eligendi ad Canonicatus præbendâsq; Collegiarum competit earum Capitulo, ejusque Prælati immediato, si habeat; jus autem instituendi vel confirmandi spectat ad Episcopum. Castrop. loc. cit. n. 2. citans Gonz. gl. 45. n. 47. Azor. p. 2. l. 6. c. 25. q. 9. Garc. p. 5. c. 4. num. 64. Lott. loc. cit. citans Abb. in c. cum Ecclesia Vulterana. n. 8. & Jo. de Lignario, atque Rotam huic sententiæ crebrius & tenacius ad hæsisse ab anno 1520. nihilominus Jo. And. in c. significatum. de præb. n. 1. Put. decis. 130. l. 1. Lap. alleg. 31. n. 1. Decian. conf. 6. n. 11. l. 1. & Rota aliquando apud Lott. loc. cit. sentiunt, solidam illorum beneficiorum provisionem spectare ad Capitulum & ejus Prælatum, sine aliqua Episcopi participatione, quibus consentire videretur Card. de Luc. de benef. d. 12. n. 13. dum ait: in Collegiatis collatio Canonicatum, aliorumque beneficiorum fit nomine ipsius Ecclesiæ ab ipso Collegio, quamvis d. 17. n. 6. & 9. accedere videatur ad communiorem, dum ait: horum beneficiorum collationem seu nominationem, provisionem vel electionem spectare ad Capitulum. Porro dicta juris communis dispositio innititur rationi; quod beneficia ista erecta sint de bonis & juribus ipsius Ecclesiæ, cujus nomine Capitulum confert, seu providet, ut id præsumitur, juxta dictam q. ante hanc penult.

*Questio 673. An, & qualiter Episcopus conferre possit alterius diœcesis beneficia unita beneficiis sue diœcesis?*

**R**espondeo: beneficium accessoriè unitum beneficio alterius diœcesis debet conferri per Episcopum illius diœcesis, in quo est beneficium, cui unitur; quia sic Ecclesia unita evadit inferior, altera superior, & Prælati superioris fit Prælati utriusque. Frances de Ecclesiis Cathed. c. 8. n. 108. citans Gonz. gl. 5. §. 7. n. 24. & Per. de Perus. tr. de unione. c. 1. n. 1. Si autem æquè principaliter facta est unio, per utrumque Episcopum provideri debet. Frances loc. cit. citans Gonz. ubi ante. n. 57.

*Questio 674. Quid possit Episcopus circa conferenda beneficia Ecclesiarum exemptarum?*

1. **R**espondeo primò: exemptâ Ecclesiâ, beneficia regularia in ea existentia non spectant ad collationem Episcopi. Frances loc. cit. c. 30. n. 155. citans Gonz. gl. 23. n. 22. & Rotam. sed ad Prælatum, & Conventum simul, si sunt conventualia; si verò non sunt conventualia, ad Prælatum solum; quamvis in his multum deferatur consuetudini. Lott. l. 2. q. 21. num. 139. citans Sely. p. 2. q. 22. n. 45. & 51. Gonz. gl. 23. n. 20. &c. Secus est de secularibus: talia enim adesse possunt in Ecclesia exempta, & spectare ad provisionem Episcopi. Frances loc. cit. citans Abb. & Lamb. apud Duran. decis. 92. n. 17. Siquidem ex exemptione Ecclesiæ non deducitur, quod beneficium sit exem-

ptum, cum aliud sit Ecclesia, aliud beneficium in Ecclesia; quia beneficium & Ecclesia constituunt duo corpora distincta, ut Abb. in cap. fin. de præb. Frances n. 156. & 157.

2. Respondeo secundò: dum Papa mandat Episcopo, ut beneficium in sua diœcesi proximè vacantium conferat Titio, potest eidem conferre beneficium aliàs ab Episcopo exemptum: ex illa enim commissione patet, Papam non excitare officium ordinarium, sed quod faciat illum delegatum suum, adeoque sicut alius quilibet vi talis mandati Apostolici quodlibet beneficium in sua diœcesi situm conferre possit, ita & Ordinarius seu Episcopus; cum officium ordinarium conferendi tunc per accidens habeat. Laym. ad c. grave. de off. jud. Ord. num. 2. citans Jo. And. in c. Abbatem. de rescript. in 6. & Cl. in Clem. unic. de excess. Prælat. n. primi anni.

3. Respondeo tertio: dum exempti, v. g. Abbates, habent Ecclesias pleno jure sibi subiectas (quod habere pleno jure subiectas aliud nihil importat signanter, quam institutionem, destitutionem, visitationem, correctionem. Paris. de rescript. l. 7. q. 15. n. 15. citans Paris. Cardinalem conf. 22. n. 14. volum. 4.) in illis Episcopus se non potest intrudere, Paris. ibid. n. 14. Sed de his alibi; vide Laym. in cap. sicut. de suppl. negl. Prælat. à n. 7. & Lott. l. 1. q. 25. n. 57.

*Questio 675. Quid Episcopus potestatis habeat circa beneficia conferenda in Ecclesiis regularibus non exemptis?*

**R**espondeo: Episcopum fundare intentionem suam super libera potestate conferendi in illis beneficia; dum enim ei assitit jus commune, quò latè patet ejus diœcesis, non solum procedit respectu secularium, sed etiam regularium, ut dictum supra. Lott. l. 2. q. 21. num. 137. & ubi in iis proceditur per præsentationem vel electionem, Episcopus pariter fundatam habet intentionem pro jure instituendi, & confirmandi. Lott. l. cit. n. 138.

*Questio 676. Quid possit Episcopus circa beneficia conferenda suis consanguineis?*

1. **R**espondeo primò: non impeditur Episcopus (idem est de collatore alio) quo minus beneficia vacantia per obitum consanguineo suo conferat, dummodò dignus sit, non obstante Bullâ Pii V. Tond. qq. benef. l. 1. c. 33. n. 4. cum communi. addens n. 5. posse similiter Episcopum in favorem sui nepotis reservare pensionem: citat pro hoc Paris. de confident. q. 1. num. 20. Gratian. discept. forens. c. 617. n. 8.

2. Respondeo secundo: Episcopus resignata coram se purè & simpliciter conferre nequit consanguineis, affinis & familiaribus propriis, (quod tamen intelligendum de familiaribus, qui actu deserviunt Episcopo, & continuam exercent commensalitatem in domo, ait Tond. l. 2. c. 3. §. 7. n. 3. citans Paris. de rescript. l. 5. q. 6. nu. 91. Fusc. de visit. l. 2. c. 20. n. 23. Marium Antonin. l. 1. resol. casu 34.) uti nec ipsius resignantis, etiam si id fieret multiplicatis per circuitum resignationibus, uti id expressè statutum per Bullam Pii V. constit. 58 ubi & gravissimâ pœnâ adversus contravenientes statutâ. Tond. loc. cit. nu. 8. Paris. de rescript. l. 5. q. 7. n. 188. Non tamen prohibetur beneficia resignata conferre consanguineis suis, seu resignantis, ubi

ea sunt jurispr. hæc enim non comprehendi ista Piaua constitutione, declaravit S. Congregatio teste Quaranta in sum. bullar. v. beneficiorum resignatio. Tond. loc. cit. n. 9. intelligitque hoc ipsum de jurep. laicali. Riccius in decis. Curia Neapolit. l. 3. decis. 81. licet Quarant. loc. cit. loquatur in genere de benef. jurispr. cui adhaerere videtur Tond. l. 2. n. 3. §. 7. n. 3.

3. Respondeo tertio: poterit tamen etiam Episcopus dictis personis conferre beneficia, quæ vacant per dimissionem Clericatus factam ab eo, qui illa possederat; cum hæc non sit vacatio per resignationem, de qua loquitur Bulla Piaua, Tond. loc. cit. n. 4. citans Riccium ubi ante, p. 3. alleg. 307. ubi etiam addit, posse Episcopum libere conferre consanguineo beneficium ob alterius incompatibilis consecutionem resignatum, quod tamen merito displicet Tonduto; et quod ob incompatibilis consecutionem beneficium præhabitu non possit resignari, sed debeat simpliciter dimitti, ut Garc. p. 11. c. 5. n. 58. & talis dimissio ex constitutione Clement. VIII. non possit fieri coram Ordinario, sed illa beneficia sint reservata Papæ, quod tamen credo intelligendum, si secundum incompatibile quis obtinuit à Papæ.

*Questio 677. Quid possit Episcopus circa beneficia litigiosa conferenda?*

1. Respondeo primo: dum pendente lite super beneficio unus ex colligantibus moritur naturaliter vel civiliter, Ordinarius sive Episcopus (vel etiam alter inferior collator) non potest manus apponere, seu providere de illo beneficio, etsi aliàs ejusdem beneficii collatio ad eum spectaret; quia ipsa lis affectionem causat. Card. de Luca. de benef. d. 92. n. 18. juxta c. 1. & 2. ut lite pendente, in 6. proceditque id ipsum non solum in beneficiis liberæ collationis, sed etiam in electivis, utpote de quibus propriè loquitur textus cit. c. 1. Card. de Luc. n. 19. Item ex communi sensu Beneficialistarum, ut ait Card. de Luca. n. 20. passim per Rotam canonizato de beneficiis jurispr. Laicorum (circa quæ passim & frequentiores oriri solent lites, quàm circa ea, quæ sunt liberæ collationis) etiam ex fundatione vel dotatione. Idem Card. ibid. & n. 21.

2. Respondeo secundo: sed neque videtur posse Episcopus (idem est de alio inferiore collatore) colligantem superstitè providere de beneficio; et quod illud sit de reservatis Papæ per regulam de subrogandis. Card. de Luc. loc. cit. n. 35. dicens hanc opinionem videri receptam in praxi. Alii tamen tenent contrarium, nimirum non minùs posse à Collatore, quàm à præsentatore fieri dictam subrogationem; et quod par sit ratio in utrisque, nimirum cessatio rationis c. 2. ut lite pendente. quæ erat, ne propter novos adversarios litigia prorogari contingat. pro hac sententia est Garc. p. 5. c. 9. n. 221. citanturque ab eo Lancellot. de attentatis. c. 3. n. 128. Paris. conf. 30. n. 4. l. 4. Roch. Covar. & c.

*Questio 678. Quæ sit potestas Episcopi circa conferenda beneficia Sede papali vacante, vacantia, aut etiam Sede papali adhuc plenè vacantia, sed de quibus Papa in vivis necdum disposuit?*

Respondeo: de his satis dictum supra; videri etiam potest Corrad. l. 3. c. 6. num. 56. Card. P. Lewen, Fori Benef. Tom. II.

de Luca. de benef. d. 16. num. 8. d. 31. num. 4. d. 93. n. 21. d. 24. n. 3.

*Questio 679. Num Episcopus habens Coadjutorem conferre possit beneficia?*

1. Respondeo primo: dum ei datus Coadjutor ob amentiam, Coadjutor habet potestatem conferendi beneficia; cum ei concedatur administratio episcopalis ab Episcopo independens, & Episcopus eà caret; quia non est compos sui. Castrop. cit. p. 27. num. 5. citans Azor. p. 2. l. 6. c. 25. q. 15. Garc. p. 5. c. 4. n. 270. citans Paris. de resign. l. 7. q. 20. à num. 25. Quintadv. l. 1. Ecclesiastic. cap. 5. num. 5.

2. Respondeo secundo: dum datus est Coadjutor Episcopo sanæ mentis ob senectutem vel infirmitatem, ad Episcopum, & non ad Coadjutorem spectat conferre beneficia. Castrop. loc. cit. Garc. n. 265. citans Pavin. de potest. Cap. sede vac. p. 2. q. 1. n. 8. Selv. p. 2. q. 4. Coraf. p. 2. c. 4. à num. 9. Rebuff. de nominat. q. 8. n. 44. & c. contra Campeg. de Coadjut. Episcopi. n. 10. & Gonz. gl. 5. §. 9. n. 4. Navar. conf. 3. de Cleric. egrot. apud Garc. num. 269. & 275. dum sentire videntur posse Coadjutorem conferre beneficia, Episcopo tali coadjuto non prohibente, seu non contradicente; per dationem enim Coadjutoris Episcopus non amittit dictam potestatem. Castrop. loc. cit. juxta regulam juris: id, quod nostrum est, sine facto & consensu nostro tacito vel expresso auferri non debet. Sed & Papa dat Coadjutori solum potestatem exercendi jura spiritualia, & temporalia, quæ jure vel consuetudine pertinent ad Coadjutoris officium; inter ea autem non sunt, quæ principalis rectè potest, & agere vult per seipsum. Garc. n. 274.

3. Respondeo tertio: sed neque talis Episcopus tenetur conferre beneficia cum consilio, aut auxilio Coadjutoris; quia nec ad hoc datur Episcopo Coadjutor, Garc. loc. cit. quod si tamen Episcopo sanæ mentis daretur Coadjutor ob dilapidationem, seu malam beneficiorum administrationem, non posset Episcopus sine consensu, & consilio Coadjutoris conferre beneficia. Castrop. loc. cit. Garc. n. 273. citans Oldr. in c. venerabilis, de off. Deleg. n. 2.

*Questio 680. Num Episcopus possit alteri concedere facultatem conferendi beneficia?*

Responder ad hoc Garc. p. 5. c. 8. n. 119. non posse, id alteri concedere, quàm Vicario suo Generali, citatque pro hoc Rebuff. in pr. rit. de voce Episcopi. n. 55. Covar. l. 3. var. c. 20. n. 8. Quintadv. l. 1. Eccles. c. 5. num. 7. Sbroitium de potest. Vicar. l. 1. q. 52. vide de hoc dicenda §. seq.

#### PARAGRAPHVS IV.

De potestate Vicarii Episcopi, quoad conferenda beneficia.

*Questio 681. Quotuplex sit Vicarius Episcopi, & qualem jurisdictionem habeat?*

1. Respondeo ad primum: est triplex; natus, foraneus, à lege constitutus; Vicarius natus Episcopi est, qui cum officio, & dignitate nascitur inde

Cc